



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Resp. 1. Si peccatum sumatur primo & secundo modo, non omne
peccatum est in voluntate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

peccata generali quadam ratione & Deo & ipsi operanti adversentur.

8. Si qui sunt, qui peccatum actuale dividant in putè philosophicum, & theologicum, eorum sententiam ut falsam, absurdam, & merito damnatam rejicimus. Peccatum quidem actuale potest dupliciter considerari, & 1. quidem ut est disconveniens naturæ rationali. 2. Ut est difforme legi divinæ. Sub prima consideratione habere malitiam philosophicam dicitur, quia actus vel omissionis actus disconvenientia cum natura rationali potissimum consideratur à Philosophis, Sub secunda consideratione dicitur habere malitiam theologicam; quia actus vel omissionis actus diffinitas cum lege divina à Theologis potissimum consideratur. At neutra malitia ab altera separari potest, nec fieri potest, ut actus vel omisso actus unam habeat, & altera careat: quidquid enim disconvenit naturæ rationali, prohibetur est lege divina (loquor de lege naturali.) & quidquid prohibitum est lege divina, secundum se & intrinsecè disconvenit naturæ rationali. Item neutra malitia sine altera culpabilis est, quia vel utraque vel neutra voluntaria est ponenti vel omittenti actum. Ratio est, quia dictamen rectæ rationis, quod est intrinsecum & essentialè complementum legis divinæ naturalis, nunquam dicitur actum vel omissionem actus esse disconvenientem naturæ rationali, quin simul & indivisibiliter dicitur adversari legi divinæ. Unde qui cognoscit unam malitiam, cognoscit & alteram; & qui culpabiliter ignorat vel non advertit unam malitiam, culpabiliter ignorat vel non advertit alteram, proindeque qui consentit in unam malitiam, consentit & in alteram. Sed hac de re jam non semel actum est. Vide tract. de actibus, & de Legibus.

ARTICULUS III.

Utrum peccatum possit esse in voluntate, in intellectu, & in potentiis exterioribus.

Nota. In quolibet peccato quatuor considerari possunt, nempe actus vel quasi actus malitia materialis, quæ potissimum consistit in diffinitate cum lege divina, libertas & voluntarietas, malitia formalis seu culpabilitas & imputabilitas. Item intellectus potest dupliciter spectari, ut subiectum, & ut dirigens. Hic autem agitur de intellectu, ut subiectum est: de illo tamen ut dirigente, aliquid dicemus. Item actus exteriores, qui à potentiis organicis exterioribus eliciuntur, possunt considerari, & ut sunt objecta actuum interiorum, à quibus imperantur, & ut sunt actiones exercitæ, & interiorum actuum effectus. His prænotatis, sit

RESPONSIO I.

Si peccatum sumatur primo & secundo modo, non omne peccatum est in voluntate.

Prob. Nam v. g. error & hæresis sunt peccata. Atqui error & hæresis, 1. quantum ad entitatem, non sunt in voluntate: non enim sunt actus voluntatis. 2. Nec sunt in voluntate, quantum ad malitiam materiale; nam 1. disconvenientia illorum cum natura rationali, cum sit illis intrinseca, non potest ibi esse, ubi non est illorum entitas. 2. Illorum diffinitas cum lege divina, cum non sit nisi extrinseca dominatio, resultans ex lege divina prohibente, vel, quod idem est, cum realiter non sit aliud, quam ipsa divina prohibitio, in voluntate subiectari non potest. Ergo, &c.

RESPONSIO II.

Si peccatum consideretur quoad rationem libertatis ac voluntarietatis & imputabilitatis, omne peccatum est in voluntate.

Prob. Nam omnis peccati libertas ac voluntarietas est denominatio extrinseca, petita à voluntate, absque omni antecedenti ad unum determinatione intrinseca operante vel formaliter, vel æquivalenter,

& ita omnis peccati libertas ac voluntarietas realiter nihil aliud est, quam ipsa voluntas operans vel formaliter, vel æquivalenter, absque antecedenti ad unum determinatione intrinseca, tam simplici, quam violenta. Item omnis peccati imputabilitas est extrinseca denominatio, petita à voluntate contra debitum operante, vel omittente; & ita omnis peccati imputabilitas realiter nihil aliud est, quam ipsa voluntas contra debitum operans, vel omittens, liberè scilicet & scienter, aut saltem cum ignorantia vel inadvergentia culpabili. Ergo, &c.

RESPONSIO III.

Quædam peccata, quantum ad entitatem vel quasi entitatem, sunt in intellectu tanquam in subiecto, quædam etiam sunt tanquam in dirigente.

Prob. 1. pars. Nam 1. error & hæresis sunt peccata. Sed error & hæresis quantum ad entitatem, sunt in intellectu, tanquam in subiecto. 2. Ignorantia eorum, quæ quis scire tenetur, est peccatum. Sed hæc ignorantia est in intellectu tanquam in subiecto: forma enim, & ejus privatio, & consequenter scientia & ignorantia, habent idem subiectum. At scientia est in intellectu tanquam in subiecto. Propter eandem rationem peccatum omissionis est in intellectu tanquam in subiecto, quando est omisso actus intellectus, puta actus intellectus, quem lex fieri præcipit.

Observe obiter. Hoc inter ignorantiam & errorem voluntarium interest discrimen, quod ignorantia non sit peccatum, nisi quando est eorum, quæ homo scire tenetur; error verò voluntarius semper sit peccatum, in quacumque materia versetur. Ratio est, quia privatio scientiæ non est per se turpis moraliter, nec imputabilis, nisi sit eorum quæ quis potest, & tenetur scire. At error est obiectum per se turpe, & naturæ rationali disconveniens, nec ad ullum bonum finem referibile: unde non potest amari nisi turpiter & inhonestè. Hinc semper peccatum est, exponere se morali periculo errandi, & quidem mortale vel veniale pro qualitate materiæ. Hinc peccat, qui in judicando sequitur minorem verisimilitudinem; secus verò si, omnibus maturè ponderatis, majorem sequatur.

Prob. 2. pars. Tunc peccatum est in intellectu ut dirigente, quando intellectus malè consulit & dirigit voluntatem. Atqui intellectus quandoque malè consulit & dirigit voluntatem: quandoque enim voluntatem non modò non dirigit ad id, quod honestum est, sed è contra movet ad id, quod est turpe. Ergo, &c.

RESPONSIO IV.

Peccatum potest esse in potentiis exterioribus.

Prob. Nam actus potentiarum exteriorum, non quidem ut sunt objecta actuum interiorum, sed ut sunt actiones exercitæ contra legem divinam, sunt peccata: habent enim malitiam non solum objectivam, quatenus non possunt nisi turpiter apperi & imperari, sed etiam formalem, quia verè sunt culpabiles, & imputabiles ad vituperium & poenam, suntque verè transgressiones legis divinæ. Ergo, &c. Sed

Nota. 1. Actus exteriores, qui sunt peccata, ut sint liberi & voluntarii, non habent à potentiis exterioribus, à quibus eliciuntur, sed à voluntate, à quâ liberè & voluntariè imperantur. 2. Ut sint culpabiles, & imputabiles ad vituperium & poenam, habent à voluntate contra debitum operante, non à potentiis exterioribus, quarum sunt actus. 3. Præter malitiam formalem, seu culpabilitatem, illis communem cum actibus internis, quibus imperantur, habent etiam malitiam materiale extrinsecam, nempe diffinitatem cum lege divina, quæ illis quoque cum iidem actibus internis communis est, & si lege naturali prohibentur, intrinsecam, nempe disconvenientiam cum natura rationali, quâ tali, distinctam à malitia materiali intrinseca, quam habent actus elicti voluntatis. 4. Unum tamen & idem totale peccatum constituunt cum actibus internis, qui-